

tius christianæ reipublicæ salutis prospiceretur, probatum est. 1538

Interea, Dyrrhachii expugnatione intermissa, Neocastrum, quod ad Rhizonici sinus fauces situm est, ad intercludendas ab ea tutissima statione classes situ valde opportunum, aggredi foederati decrevere. Nam Rhizonicus sinus sese orientem versus inflectens, intimiore recessu *Cattarum*, quod Ascrivium olim dicebatur, Venetorum urbem, alluit, quæ situ, & arte munita circumjectæ regioni dominatur, atque ad Epirum, & Macedoniam aditum patefacit: regio vero universa collium amœnitate, & cultu mirificam circumspectantibus voluptatem præbet. Ascrivium, assurgentibus ad dextram montibus, opacum brumæ tempore solis radiis, montium interjectu averfis, horridum fere redditur. Neocastrum autem, a Mahomete Turcarum Rege superioribus tempestatibus Cherseghi præfecto ademptum, neque circuitu, neque munitione valde conspicuum, situ ad Ascrivium tutandum percommodum est. Ab infima parte, quæ mari alluitur, ædificia rudi opere confecta per dorsum collis sese attollunt: in summa autem parte arcem natura potius, quam opere munitam habet, quam militum præsidio Turcæ tuebantur incolæ ex Illyrico, atque Epiro admixti. Classe itaque sinum ingressa, milites, ac tormenta Ferdinandus Gonzaga in terram exposuit, & dum Hispani pedites ad oppugnationem se comparant, machinæ admoventur. Capellius suis triremibus moenia subit, oppidum magno impetu aggreditur; navales focii per remos muros scandentes, cum propugnatores diversis in locis nostrorum conatibus obsistere non possent, oppidum ingressi, portisque reclusis, militibus aditum aperuere. Itaque terra marique impetu facto, hostes in arcem se recepere. In eo tumultu Buccanigra Hispanus, & Cæsar Josias Firmanus, cohortium præfecti, cecidere: triduo post arcem editiore loco sitam propugnatores nostris, deditione facta, permisere. Hispani milites, nequicquam Ferdinando Gonzaga inhibente, quod præda ad Venetos pertineret, foede oppidum diripuerunt, atque haud exiguam inde, quamvis minime pretiosam, supellectilem asportavere: tantaque illorum insolentia, & rapacitas fuit, ut classarios exuviarum partem ad triremes deferentes impie, atque inhumaniter spoliarent.

*Neocastrum
a foederatis
captum.*

Ve-